d, 29 Maj A. 1414. Legati Concilii, heri ad Papam Cellas digressi, reversi hodie ante Sessionem publicam

die Mercurii, vigilia Corporis Christi, 29. Maji, A. 1415.

Quid apud Papam Johannem heri egerint, & quo animo Concilii decretis se jam submiserit Johannes Papa, in publica Sessione statim secuta publice commemorarunt Legati. Vid. ergo Acta Sessionis sequentis.

SESSIO GENERALIS XII.

in templo Cathedrali, Præsente Cæsare SIGISMUNDO Præside Johanne Ostiensi Cardinale ViceCancellario.

Die Mercurii, post Trinitatis, Vigilia Festi Corporis Christi, 29. Maji, A. 1415.

Johannes Papa de Papatu prorsus dejectus, & adcarceres condemnatus Statutumq; novum Pontificem, sine consensu & præscitu præsentis Concilii haud esse eligendum.

In MSC. Vindob. Dorr. In *Codice Dorriano Vindobonensi* hæc rerum summa. *Sententia lata contra Johannem Papam: Et quadam ordinationes: In Concilio generali Anno Domini 1415. in vigilia Corporis Christi, quæ est penultima dies mensis Maji, in publica sessione facta, quæ fuit in ordine duodecima.*

Item in eadem sessione retulunt Ambassiatores missi ad Papam Johannem, quod eis respondisset, quod nollet videre, neq; attestationes, neq; processus, nec quicquid opponere sive excipere contra facta concilii, sed ea approbare velle & acceptare. Et pro nunc approbavit & acceptavit, & placet, quod concilium ferat sententiam pro ejus depositione &c.

In MSC. Wolfenb. In MSC. Wolfenbutt. hæc datur rerum facies: *Sessio duodecima, in qua Commissarii ad Johannem Papam fecerunt relationem. Et lata fuit definitiva sententia contra ipsum.*

Die Mercurii vicesima nona mensis Maji supradicti, fuit Sessio generalis in Ecclesia majori Constantiensi. In qua præsidebat Reverendissimus Pater Dominus Johannes Episcopus Ostiensis Cardinalis Vivariensis. Præsente Serenissimo Principe Sigismundo, Romanorum Rege, in insigniis regalibus, cum suis nobilibus in eisdem sibi servientibus. Fuit decantatum officium missæ de Spiritu S. per Dominum Patriarcham Antiochenum. Quo completo dicebantur litaniæ &c. ut moris est. Quibus peractis fuit facta relatio à legatis & nunciis missis ad Johannem Papam, per organum Dni Johannis Episcopi Vaurensis, quemadmodum, articulis & attestationibus, contentis in processu sacri Constanc. Concilii, contra ipsum Dominum Johannem Papam, eidem exhibitis, offerentes ex parte ipsius Concilii, si quid vellet opponere quod libere posset: Item intimato eidem termino ad proferendum sententiam: Quod respondisset verbo, se pro Dei Ecclesia & ejus unione plura fecisse, etiam antequam fuisset in Papam assumptus, & ante dicti Concilii Const. inchoationem: In quo etiam obtulit liberam papatus sui cessionem Et quod turpiter abinde recesserat, bene recognoscebat, maluisset q; illa die sine animæ suæ præjudicio mortuus esse, quam ita turpiter recessisse: Quod q; contra processum sacri concilii nullam defensionem facere volebat, sed prout per schedulam sua manu subscripta datam Cardinalibus, qui ad eum venerant, continebatur, volebat & præsentialiter promittebat, stante se in omnibus conformare omni ordinationi deliberationi & determinationi dicti sacri concilii: Ac insuper omnimodum processum per idem Concilium contra eundem habitum ratificabat, asserens, quod non aliter voluit prædictis articulis respondere: Affirmans, Concilium Constantiense sanctissimum esse, errareq; non posse, ac Concilii Pisani continuativum: Et quod ipse sacro Constantiensi Concilio nunquam contradicere vellet, etiamsi in Bononia aut quo vis-

vis alio loco sibi magis accepto personaliter jam esset: Cum vere sibi animus non esset, quam publice fateri, se in Papatu nullum jus habere: De sententia autem ferenda, quod summe sibi placeret, ut quam cito lata foret, eidem referretur: Quam omni reverentia, etiam cum bireti sui depositione reciperet, & eam quantum in se foret confirmaret, ratificaret, approbaret, & omologaret: Prout dictum processum ac omnia contra ipsum in concilio gesta, ex tunc ratificabat, approbabat & confirmabat, promittebatq; contra ea se aliquo processu temporis non venire.

Prædicta relatione completa, Rever. Pater, Dn. Episcopus Atrebatensis legebat sententiam definitivam contra Joh. Papam ac constitutiones quasdam. Quarum tenores sequuntur hoc modo.

Quod non procedatur ad electionem Papæ, si contingat sedem vacare, sine expresso consensu Concilii: Sacrosancta generalis Constantiensis Synodus &c. Vid infra. *Sententia Definitiva contra Johannem Papam: In nomine sanctæ &c.* Vid. infra. *Quod neuter contendentium reeligatur in Papam: Item statuit, decernit &c.* Vid. infra. *Pro judicibus quod vocentur Prælati absentes: Item decernit &c.* Vid. infra.

Theodoricus à Niem, supr. Tom. II. f. 407. *Die 29. mensis Maji fuit facta solennis sessio Constantiæ. Et illa finaliter depositus idem Balthasar, nec non carceri adjudicatus pro pœnitentia peragenda, quousq; provisum esset Romanæ Ecclesiæ de summo Pontifice. Et quod ille de ipso Balthasare disponeret, prout sibi videretur, & quod interim bene tractaretur. Et sic verificatum est illud, quoad ipsum Balthasarem:* Qui voluit inter vos primus esse, erit vester servus. *Quia Deum pro oculis non habuit, & quod fractum erat, non alligavit, & quod abjectum non reduxit.* Conf. *Dacherius*, infra *Tom. V.*

Anonymus in antiquo Chronico Magdeburgensi, apud Meibom. T. II. f. 342. *Concilium Constantiense Papam Johannem 23. deposuit propter pravitatem, & scelera alia ingentia, adeo ut diabolus incarnatus diceretur.*

Gobelinus Persona. *Quia Johannes, præsentatis articulis supradictis sibi per duos Episcopos & duos Abbates coram Protonotariis duobus & notariis ac testibus ex parte Concilii in oppido Cellis, Constantiensis diœcesis, non audens contradicere, nec contra testes super eisdem productos, puta Cardinales, Episcopos, Abbates, protonotarios, auditores, Magistros & doctores, aliquid curans opponere, determinationi Concilii se submisit: (Vid. supra) Concilium, Rege præsente in regalibus insigniis, sententiam depositionis tulit contra eum, ipsumq; Papatu & administratione illius privavit, nec non omnes & singulos Christianos ab ejus obedientia absolvit, die 29. mensis Maji. Decretum quoq; est per Concilium, quod idem Johannes sub Regis custodia ad ipsius Concilii beneplacitum servari deberet.*

Erdvvinus Erdmannus in Chronico Osnabrugensium: *Cum anno 1414. inclytus Rex Sigismundus, Ungariæ & Bohemiæ Rex, Aquisgrani à Reverendissimo Domino Theodorico de Morsa, Electo Ecclesiæ Coloniensis & confirmato, 8. die mensis Novembris coronatus est in Regem Romanorum, statim ad Constantiam se transtulit, operam daturus Concilio Constantiensi. Et licet Johannes Papa 23. primo pollicitus fuit cedere papatui, si alii secum contendentes etiam renunciare vellent, Mutato tamen proposito se ad Austriam clam transtulit. Quare Dn. Rex Sigismundus Ducem Austriæ coëgit, ut desisteret ab illa receptione & manutentione. Citato ergo Papa Johanne ad respondum articulis & objectis, ipse determinationi Concilii se submisit, & Concilium Rege præsente eundem deposuit & privavit: Et quod idem Johannes sub Regis custodia servari deberet, etiam Concilium pronunciavit. Qui illustri Ludovico Comiti Palatino Rheni, qui eum ad quoddam suum misit castrum, fuit ulterius commissus.*

In MSC. Brunsv. Lipsi. & Got.

DIe Mercurii, XXIX. mensis Maji supradicti, fuit sessio generalis in Ecclesia majori Constantiensi ad hoc specialiter deputata, hora consueta. In qua, & pro ea fienda, fuit cantatum officium missæ de Spiritu S. per Dominum *Patriarcham Antiochenum*. In qua de Cardinalibus *præsidebat* Reverendissimus Pater Dominus *Johannes Episcopus Ostiensis Cardinalis* Vivariensis. *Præsente* Serenissimo Principe, Domino *Sigismundo Romanorum Rege*, cum suis nobilibus & insigniis & habitu regalibus. Cui adstabant inter Cardinales Domini

Angelus Episcopus Penestrinus, Laudensis, *& Jordanus Episcopus Albanensis*, de Ursinis Cardinales nuncupati. Præsentibus etiam Dominis *Francisco Venetiarum*, *Anthonio Aquilegensi*, *Alamanno Pisano*, *Petro Cameracensi*, *Branda Placentino*, *Antonio de Chalanco*, Presbyteris, *Francisco Florentino*, *LUCIDO De Comite*, *ODDONE De Columna*, *LANDOLPHO Barensi*, *LUDOVICO De FLISCO*, *REYNALDO De BRANCACIIS*, *& AMADEO Salutiarum*, Diaconis, *Cardinalibus*.

Post cujus quidem officii missæ peractionem fuerunt lectæ & dictæ litaniæ cum introitu: *Exaudi nos Domine*, &c. more solito, ac Evangelio: *Ecce judicium, nunc princeps mundi ejicietur foras*, cæterisque Collectis & orationibus, ac hymno: *Veni Creator Spiritus*.

Quibus habitis, instante Magistro *HENRICO De PIRO*, promotore & procuratore prædicto, Reverendi Patres, ac venerabiles & providi viri, Dominis *JOHANNES Episcopus Vaurensis*, *ANDREAS ELECTUS Poznaniensis*, *CASPAR ABBAS Perusinus*, *THOMAS* Abbas Monasterii sanctæ Mariæ extra muros Eboraci, *JACOBUS RODINI De JANUA*, *THOMAS POLTON*, sedis Apostolicæ protonotarius, Magistri *JOHANNES GINARDI*, *& WILHELMUS PORCELL*, notarii, legati & nuncii, *missi heri* per sacram synodum *ad terram Cellis*, ubi JOHANNES Papa XXIII. existebat, per os Domini JOHANNIS Episcopi Vaurensis prædicti, sibique ex parte hujus synodi intimarunt, qualiter *terminus ad ferendum sententiam* fuisset *prorogatus in diem præsentem* propter ejus benevolam responsionem, de non appellando, sed eam acceptando, & eam approbare velle: Et ex hoc mota dicta sancta synodus, sive concilium, attendendo honorem ejus, in hujusmodi pronunciatione, vellent limitare & mitigare verba sententiæ: Eo non obstante, si vellet opponere & defendere causam suam contra dictam sententiam, posset & deberet sibi dari tempus, hora atque locus pro sua defensione. Qui JOHANNES ipsis nunciis respondebat, quod non vellet videre neque attestationes, neque processus, nec quicquam opponere, sive excipere sed eam approbare velle & acceptare. Ex tunc approbavit & acceptavit, & placuit, quod Concilium ferret sententiam: Dicens, quod *sciret*, *concilium in hoc non errare posse*. Et ea latâ, obtulit se paratum ad subscribendum eandem.

Vid. supr. d. 27. Maj.

Et ulterius dixerunt, quod dicta sententia debebat proferri *die luna* proxime præterita. Sed ex quo materia non erat tunc parata, ideo de mandato Concilii *intimarunt* sibi dictam *prorogationem*. De quibus reddidit se idem JOHANNES contentum, regratiando ipsis nunciis: Supplicans, ut recommendarent honorem & personam suam Domino Regi Romanorum & Concilio. Prout in quodam publico *instrumento*, in notam recepto, per dictos notarios infra scripti tenoris plenius continetur.

Vid. supr. d. 26. Maj.

Vid. supr. d. 28. Maj.

Vid. supr.

Qua quidem relatione facta, idem Dominus Henricus de Piro, Promotor & Procurator petiit pronunciari, prout & quemadmodum in quadam papyri *schedula*, quam ibidem in suis tenebat manibus, eamque de verbo ad verbum perlegebat, protestans, petens & dicens, ut in eadem *schedula* infra scripti tenoris continetur.

Tenores vero dictæ *petitionis definitivæ sententiæ, ac instrumentorum reportatorum de Cellis*, de quibus fit mentio, sequuntur & sunt tales.

Vid. supr. d. 26. Maj.

Et hæc quidem instructa fuerũt ut legerẽtur in publica sessione d. sequenti 27. Maji. Sed nulla tunc habita sessio publica. Dies Luna 27. M. v. supr.

Instrumentum, quod nudius tertius die 27 Maji Johanni sint Articuli Cellis oblati, & dies 28. indictus ad audiendam sententiam.

In MSC. Lipf. & Goth.

IN nomine Domini Amen. Anno à nativitate *Domini millesimo* CCCC XV. Indictione VIII. die vero *luna* XXVII *mensis Maji*, in oppido *Cellis*, Constantiensis diœceseos, in camera, in qua Dominus Papa Johannes 23. stabat, & habitare solebat, constituti Reverendi Patres & Domini, *Johannes Vaurensis & Andreas Poznaniensis*, Episcopi, *Thomas*, sanctæ Mariæ extra muros Eboraci, & *Gaspar*, sancti Johannis eremitæ *de Perusio*, monasteriorum, *Abbates*, per sacrum

crum Concilium Constantiense ad infra scripta *commissarii*, specialiter deputati, in præsentia Reverendorum Patrum, Dominorum *Jacobi Rodini de Janua*, & *Thomæ Polton*, sedis Apostolicæ protonotariorum, & aliorum notariorum publicorum, venerabiliumq; personarum aliarum, inferius nominatarum, testium ad infra scripta adhibitorum, supradicto Domino *Johanni Papæ* XXIII. ibidem *præsenti*, audienti, & intelligenti per organum jam dicti *Vaurensis Episcopi*, alta & intelligibili voce proposuerunt verba, quæ seqvuntur:

Pater sancte, Reverendi Domini mei, Domini *Commissarii* & Deputati, hic præsentes, & *ego*, una cum eis, *summis transmissi*, & destinati ad sanctitatem vestram ex parte sacri Constantiensis Concilii, ad *insinuandum* primo *ostendendumq;*, & realiter *exhibendum* eidem sanctitati *articulos*, formatos *coram eodem sacro* Concilio, contra personam vestram *productos*, super criminibus nonnullis gravibus & enormibus, de & super quibus contra eandem per dictum sacrum Concilium proceditur, ad interrogandum & requirendum eandem, ut *super eisdem articulis* omnibus & singulis sufficienter habeatis *respondere*, eos confitendo vel diffitendo, prout vobis videbitur, ac etiam ad videndum & sciendum, si huic processui velitis vos opponere, seu aliqua pro vestra defensione in hac causa dare, facere, vel allegare. *Licet*, *Pater sancte*, hæc non sunt multum necessaria, attento consideratoque grato benignoque responso per sanctitatem vestram, pridie in oppido isto, coram Reverendissimis Patribus, Dominis *de Ursinis*, *de Chalanco*, *de Saluciis*, *Cameracensi & Florentino*, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patribusque reverendis, *Tholonensi & Augustensi* Episcopis, nonnullisque aliis Prælatis, & viris nobilibus præsentibus ad hoc vocatis. Quod quidem responsum in schedula *manu Vestra sanctitatis subscriptum* dicto sacro concilio relatum pleneque notificatum extitit.

Vid. supr. d. 25. Maj

Vid. supr. d. 26 Maj

Eapropter dictos *articulos*, quos sæpe dictus Dominus *Vaurensis Episcopus* in suis tenebat manibus, eidem Domino *Johanni Papæ exhibuit*, obtulit & tradere voluit. Eumque super eisdem interrogando *requisivit*, ut eorum omnibus & singulis sufficienter, ut superius exprimitur, responderet, diceretque, ac declarare vellet, si dicto processui, ejusve parti se opponere, seu aliqua ad sui excusationem vel defensionem dare vellet, ea offerendo, hæc omnia libenter se recepturos.

Quibus sic, ut præmittitur, exhibitis, interrogatis, requisitis, oblatis & propositis, idem Dominus Johannes Papa dixit, & verbo proposuit: *Ipsum pro Dei Ecclesia & ejus unione plura fecisse, etiam antequam fuisset in Papam assumptus, præsertim tempore Errorii, & circa concilium Pisanum, & ante hujus sacri Concilii Constantiensis congregationem. In quo etiam liberam cessionem sui papatus obtulit. Prout in scedula per eum in eodem concilio in publica sessione tunc lecta & publicata plenius continebatur. Subjungens tristi vultu, ut apparuit, quod à Constantia & dicto sacro concilio post ipsius schedulæ concessionem turpiter recesserat. Quod bene recognoscebat. Imo quod maluisset illa die sine animæ præjudicio mortuus esse, quam ita turpiter recessisse. Eapropter idem Dominus Johannes Papa respondit successive, quod ipse contra præmissa superius recitata nullam* defensionem facere volebat. Imo, prout per dictam schedulam sua manu subscriptam, quam *pridie*, ejus ex parte, *ab oppido*, quo supra, *Cardinales*, recitati superius, ad concilium portaverunt, continebatur, volebat, & præsentialiter stare promisit in omnibus se conformare omni ordinationi, deliberationi & determinationi dicti sacri concilii. Ac insuper omnimodum processum, per idem concilium contra eundem habitum, ratificabat, & ratum habebat. Asserens, quod non aliter voluit prædictis articulis respondere, affirmans, Concilium Constantiense sanctissimum esse, errareque non posse, ac *Concilii Pisani fore continuativum*. Et quod ipsi sacro Constantiensi Concilio nunquam contradicere vellet, etiamsi in Bononia aut alio quovis loco sibi magis accepto personaliter jam esset. Cum id sibi minus non esset, quam publice

Vid. supr. d. 26 Maj

fateri

fateri, se in papatum nullum jus habere.

Insuper ut intelligeret idem Dominus Johannes Papa, concilium non minus *juste*, minusve *legitime* contra eum in præmissis, aut eorum aliquo processisse, *dicta testium* super criminibus, in quibus processum sit vel fuerat contra eum, productorum, sæpe dictus *Vaurensis Episcopus aperuit*, & sibi copiam dari obtulit. Ad finem, quod si contra eosdem testes, eorumve dicta quidquid opponere, aut aliquam defensionem suscipere vellet, id faceret, eoque libere uti deberet & posset.

Quibus per eundem Papam Johannem, & omnimoda defensione hujusmodi, præterquam, ut hic subsequitur, expressius renunciatis, sacro concilio prædicto se submisit. Adjiciens: *Volo quod concilium sit defensio mea, quod scio errare non posse. Nec alia quacunq; defensione uti volo.* Supplicans humillime, se per Commissarios prænominatos eidem sinceriter recommendandum fore.

Demumque successive post præmissa *Episcopus Vaurensis* prælibatus suo & commissariorum prædictorum nomine aperto ore dixit: *Pater sanctissime*, [Nos ultra præmissa in mandatis habemus vobis assignare *terminum* ad audiendum sententiam definitivam, per dictum sacrum Concilium contra personam vestram super omnibus & singulis, in quibus jam contra eandem processerit, proferendam, ut ipsius causæ qualitas & natura requirunt. Ideo vobis *terminum assignamus* ad audiendum sententiam hujusmodi, in Constantia, *in diem crastinam*, hora sessionis consueta.

Respectu diei Solis quando ablegati. Nam *die Lunæ* debebat sententia publicari. quod diserte monitú supra, in principio hujo sessionis.

Qui dictus *Johannes Papa inibi*, ut apparuit, *comparere non curans*, respondit: *Mihi summe placebit sententia illa*, ipsaque supra, quam cito lata sit, mihi deferatur, quam omni reverentia, etiam cum Bireti mei depositione, recipiam, eamque quantum in me fuerit, confirmabo, ratificabo, approbabo & emologabo (in Goth. emulgabo) prout & dictum processum, ac omnia, contra me, ut superius est expressum, in concilio gesta, ex nunc prout ex tunc, & è contra, ratifico, approbo & confirmo, promittoq;, contra eam me aliquo processu temporis non venire.

Ad statumque *porrectis*, & realiter ad manus traditis per dictum Dominum *Gasparem*, Abbatem & commissarium superius nominatum, *articulis & testium dictis* omnibus supra dictis, supra nominato protonotario, Domino *Thoma Polton:* Episcopus Vaurensis sæpe dictus, dicto Domino Johanne Papa audiente, eundem Dominum Thomam & Jacobum Rodini protonotarios superius expressos aliosque publicos notarios hic inferius descriptos, ad præmissa & eorum occasione vocatos, instantius requisivit, ut super præmissis omnibus & singulis, ut supra recitatur, dictis, propositis, allegatis & responsis, assertis & gestis, unum, duo vel plura conficerent, publicum vel publica instrumentum seu instrumenta, & quod in his testes essent unusquisque eorum alteri.

Ac Reverendi Patres, Dominus *Vitalis Tholonensis*, *ac Fridericus Augustensis, Episcopi*, honorabilesque viri, Magister *Guilelmus Cling*, in sacra pagina Professor, *Johannes Fiten*, Sarisberiensis Ecclesiæ Canonicus, *Petrus Gajetan*, Canonicus Conseranensis, *Henricus Suring*, & *Johannes Nederhove*, notarii publici, Paterbornensis & Coloniensis diœcesium, & multi alii testes, specialiter requisiti & rogati per Episcopum Vaurensem sæpe nominatum.

Consequenter sine mora dictus Dominus *Johannes Papa* eosdem protonotarios & notarios cum instantia consortiter requisivit, ut super per eũ, ut præmittitur, dictis, responsis, præmissis, habitisque & gestis, *testes sibi fierent*, eaque sub eorum scriptis publice facerent annotari. Et quod tunc astantes cæteri nonulli, hic superius expressi, & alii interessentes plurimi *testes* ita sibi *fierent* de præmissis.

Acta sunt hæc omnia & singula, prout superius scribuntur & recitantur, *in* dicto *oppido Celle*, sub anno, indictione, die, mense, quibus supra, pontificatus ejusdem Domini Johannis Papæ XXIII. supradicti anno sexto.

Johan. Ginardi } *Notarii memorati, ad*
Guilelmus Porzel } *præmissa requisiti.*

Instru-

Instrumentum, quod Johanni Papæ intimatus sit terminus ultimus, dies 29. Maji præsens, ad audiendum sententiam definitivam privationis.

In publica Sessione hodie prælectum.

In MSC. iisdem.

IN nomine Domini Amen. Anno à nativitate Domini Millesimo cccc xv. indictione octava, *die* vero *Martis*, 28. *mensis Maji*, paulo post horam vesperorum, *in oppido Celle Constantiensis diœceseos*, in domo, quam Dominus Johannes Papa XXIII. tunc inhabitabat, constituti Reverendi Patres & Domini, *Conradus Abbas Pegaviensis*, ordinis sancti Benedicti, sedi Apostolicæ immediate subjectus, *Mersburgensis diœceseos*, *Aymericus de Arciis* Licentiatus in decretis, Prior sancti Benigni Augustæ, *Guilelmus Cling* in sacra pagina Magister, *Johannes Fiten*, in Theologia Baccalarius, Canonicus Sarisberiensis, *Johannes Brode*, Lector veteris Budæ videlicet Coloniensis diœceseos, *custodes ad custodiendum* dictum Dominum *Johannem Papam in dicto oppido* per Dominos de sacro generali Constantiensi Concilio deputati. Idem Dominus *Johannes Lector* suo & dictorum Dominorum concustodum suorum nomine, autoritate & potestate, sibi & dictis suis custodibus per deputatos quatuor nationum per dictum sacrum concilium ad assignandum prælibato Domino Johanni Papæ *terminum*, ad sententiam definitivam, ferendam in causa, quæ contra eum agitur, audiendum, datis & concessis, exposuit ipsi Domino Johanni Papæ præsenti, audienti & intelligenti, qualiter Serenissimus Princeps, Dominus *Sigismundus*, Romanorum & Hungariæ &c. *Rex*, de contentis in quadam litera per dictum Dominum Johannem Papam sibi destinata, ac memorati *Domini de Concilio*, de responsione, ab eodem Domino Johanne Papa habita, per dictos Dominos deputatos eisdem Dominis de Concilio facta seu relata, plurimum *contenti* extiterant. Propter quæ & alia, dictos Dominos de Concilio moventia, terminum dicto Domino Johanni Papæ per dictos Dominos deputatos, ad audiendum definitivam sententiam contra eum ferri & promulgari, præfixum & assignatum, usque ad diem Mercurii proxime futurum, quæ erit *XXIX. mensis Maji*, continuarunt, & prorogarunt dictam continuationem seu prorogationem sibi in propria persona melioribus modo, via, jure, causa, & forma, quibus potuit, intimavit. Quibus sic expositis & intimatis, idem Dominus Johannes Papa, recommendatione dicto Domino Regi & Dominis de sacro concilio præmissâ, respondit & dixit, prout alias Dominis aliis deputatis se asseruit dixisse & respondisse similiter, quod prorogationem & intimationem hujusmodi, & quicquid per dictum sacrum concilium jam factum fuerit & die crastina vel alias quandocunque fieret in futurum, rata ex nunc habebat & haberet pariter & grata. Super quibus omnibus & singulis idem Dominus *Johannes Lector* nomine, quo supra, unum vel plura, publicum seu publica petiit per nos notarios infra scriptos fieri instrumentum vel instrumenta. *Acta* fuerunt hæc, prout supra scribuntur, anno, die, mense & loco prædictis, præsentibus ibidem honorabilibus & discretis viris, fratribus *Johanne Berti* de Bononia, & *Matthæo de Viterbio*, monachis monasterii sancti Michaelis prope Bononiam, ordinis montis oliveti, *Petro Gajetan* canonico Conseranensi, Domicello, *Alberto de Gormitz*, Capitaneo dicti oppidi Cellæ, & *Johanne de Oldendorp*, clerico Moguntinensis diœceseos, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Giselerus Boventen, dicti sacri concilii pro natione Germanica Notarius, ad præmissa requisitus.

Etiam *Guilelmus Porcellus* pro natione Anglicana notarius fuit requisitus.

Petitio, per Henricum de Piro producta, pro publicanda sententia contra Johannem Papam 23.

ET quia, Reverendissimi Patres & Domini, ex actis causæ hujusmodi, crimina, scandala, incorrigibilitas, nutritio schismatis, aliaque contra Dominum Johannem Papam, quæ ad ejus depositionem sufficiunt, sufficienter probata creduntur, relationem Reverendissimorum Patrum, Dominorum *Ambassiatorum & Legatorum* hujus sanctæ Synodi, ac protonotariorum sanctæ sedis Apostolicæ & aliorum tabellionum, *de citatione*, in personam Domini *Johannis Papæ* ante dicti facta, & *comparitionis expressa recusatione, repetivimus*, & reproduximus, ipsius contumaciam accusando: Et in ejus contumaciam *petimus* per vestram *definitivam sententiam*, in scriptis pronunciari, decerni & declarari, *recessum* per præfatum Dominum Johannem Papam ab hac civitate Constantiensi, & dicto sacro Constantiensi Concilio, clandestine, de nocte, hora suspecta, in habitu dissimulato & indecenti factum, fuisse & esse *illicitum*, Ecclesiæ Dei, & dicto Concilio notorie scandalosum, pacis & unionis ipsius Ecclesiæ turbativum & impeditivum, schismatis inveterati nutritivum, à voto, promissione & juramento, per ipsum Dominum Johannem Papam Deo & Ecclesiæ, & huic sacro Concilio præstitis, deviativum, ipsumque Dominum Johannem Papam Simoniacum notorium, malumque spiritualium & temporalium Ecclesiæ administratorem & dispensatorem fuisse & esse, suis detestabilibus inhonestisq; vita & moribus Ecclesiam Dei & populum Christianum ante ejus assumtionem ad papatum, & post, usque ad ista tempora notorie scandalizantem, ipsumque per præmissa Ecclesiam & populum Christianum notorie scandalizasse & scandalizare, nec non post monitiones debitas & charitativas iteratis & crebris vicibus eidem factas in præmissis malis pertinaciter perseverasse, ipsumque propter præmissa, & alia crimina, in processu dictæ causæ contra eum deducta & contenta, tanquam indignum, inutilem & damnosum, à papatu & ejus administratione spirituali & temporali amovendum, privandum & deponendum fore, & per vos, sanctam synodum, amoveri, privari, & deponi: Universos & singulos Christicolas, cujuscunque status, dignitatis vel conditionis existant, ab ejus obedientia, fidelitate & juramentis absolutos declarando: Universisque Christi fidelibus, ne eundem à papatu, & ejus administratione spirituali & temporali, ut præmittitur, sic depositum de cætero in Papam recipiant, seu eum Papam nominent, aut illi tanquam Papæ adhæreant, vel quoquomodo obediant, inhibendum fore, & per vos inhiberi: Et nihilominus defectus, si qui circa præmissa intervenerint, ex certa scientia suppleri: Dictumque Johannem ad standum, & morandum in aliquo loco, *sub tuta & fida custodia*, donec, quid agendum cum eo deliberaveritis. Et eundem secundum canonicas sanctiones condemnandum & puniendum fore, & per vos condemnari & puniri. Præmissa omnia & singula petimus promotores & procuratores ante dicti, tam conjunctim, quam divisim, ac aliis omnibus melioribus, modo, via, jure, causa & forma, quibus melius & efficacius peti possunt & debent: Vestrum insuper benignum officium in præmissorum quolibet humiliter implorantes.

Petitione lecta, & data notariis ibidem nomine Concilii præsentibus, & deinde toto Concilio & Synodo mandante, reverendi Patres, Domini JOHANNES *Patriarcha Antiochenus*, MARTINUS *Episcopus Atrebatensis*, *ANTHONIUS Episcopus Concordiensis*, *NICOLAUS Episcopus Merseburgensis*, & *PATRITIUS Episcopus Cortagensis*, ascenderunt ambonem, in quo edicta Concilii & synodi sanctæ prædictæ legi & publicari solent.

Et de mandato Concilii, & ipsius Synodi Reverendus Pater, Dominus *Episcopus Atrebatensis*, Christi nomine invocato, &c. pronunciabat & *legebat dictam*

ctam sententiam definitivam de verbo ad verbum, prout in *schedula*, quam in suis tenebat manibus, infra scripti tenoris, plenius continetur.

Sententia depositionis (privationis) Johannis Papæ XXIII.

per Martinum Porræum, Episcopum Atrebatensem, publice prælecta ac promulgata.

In MSC. Brunsv. Lipsi. & Goth. ac Vindob. Dorriano & Elstra. Parte II. f. 134.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen. Sacrosancta generalis Constantiensis Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, invocato Christi nomine, solum Deum præ oculis habens, visis articulis in hac causa contra Dominum JOHANNEM Papam XXIII formatis & oblatis, ac probationibus eorundem factis, ejusdem submissione spontanea, una cum toto processu hujus causæ, habita matura deliberatione super eisdem, per *hanc sententiam definitivam*, quam profert in scriptis, pronunciat, decernit, & declarat, *recessum*, per præfatum Dominum JOHANNEM Papam XXIII ab hac civitate Constantiensi, & dicto sacro generali Concilio, clandestine, de nocte, hora suspecta, in habitu dissimulato & indecenti *factum*, fuisse & esse *illicitum*, Ecclesiæ Dei & dicto Concilio notorie scandalosum, pacis & unionis ipsius Ecclesiæ turbativum & impeditivum, schismatis inveterati nutritivum, à voto, promissione, & juramento, per ipsum Dominum JOHANNEM Papam Deo, & Ecclesiæ, ac huic sacro Concilio præstitis, deviativum, ipsumque Dominum JOHANNEM Papam *Simoniacum* notorium, bonorumque & jurium, nedum Romanæ, sed aliarum Ecclesiarum, & plurium aliorum locorum piorum *dilapidatorem* notorium, malumque spiritualium, & temporalium Ecclesiæ administratorem & dispensatorem fuisse & esse, *suis detestabilibus inhonestisque Vita & moribus* Ecclesiam Dei, & populum Christianum notorie scandalizantem, ante ejus assumtionem ad papatum, & post, usque ad ista tempora, ipsumque per præmissa Ecclesiam Dei, & populum Christianum notorie scandalizasse, & scandalizare: Postque monitiones debitas & charitativas, iteratis & crebris vicibus eidem factas, in præmissis malis pertinaciter perseverasse, seque ex hoc notorie *incorrigibilem* reddidisse: Ipsumque propter præmissa & alia crimina, in processu dictæ causæ contra eum deducta, & contenta, tanquam *indignum*, inutilem, & damnosum, *à papatu*, & omni ejus administratione, spirituali & temporali, *amovendum*, privandum & *deponendum* fore. Et *eum* dicta sancta Synodus amovet, privat & *deponit*: Universos & singulos Christicolas, cujuscunque status, dignitatis, vel conditionis existant, ab ejus obedientia, fidelitate & juramento absolutos declarando. Inhibendo insuper universis Christi fidelibus, *ne eundem, à papatu*, ut præmittitur, sic depositum, de cætero *in Papam recipiant*, seu eum Papam nominent, aut illi tanquam Papæ adhæreant, seu quoquomodo obediant. Et nihilominus ex certa scientia & de plenitudine potestatis supplet dicta sancta Synodus omnes & singulos defectus, si qui forsan in præmissis, vel aliquo præmissorum intervenerint. Eumque ad standum & morandum in aliquo loco bono & honesto, *sub custodia tuta* Serenissimi Principis Domini SIGISMUNDI Romanorum & Hungariæ &c. Regis, universalis Ecclesiæ advocati, & defensoris devotissimi, nomine dicti sacri Concilii generalis, quamdiu dicto sacro generali Concilio pro bono unionis Ecclesiæ Dei videbitur, *condemnandum* fore, & eadem sententia condemnat. *Alias* vero *pœnas* quæ pro dictis criminibus & excessibus inferri deberent, juxta Canonicas sanctiones, dictum Concilium arbitrio suo reservat declarandas & infligendas, secundum quod rigor justitiæ, vel misericordiæ ratio suadebit.

Qua pronunciatione facta, ut præmittitur, Reverendissimus in Christo Pater & Dominus, Dominus JOHANNES *Episcopus Ostiensis* & Præsidens, proposuit, quod si aliquis esset ibidem præsens, sive magnus sive parvus, pauper aut dives, volens contradicere di-

ctæ sententiæ definitivæ, seu ejus pronunciationi, dicat & surgat, cum potestas libera sit per dictum Concilium unicuivis concessa ad dicendum voluntatem suam: Et in casu quo non dixit, habebitur talis pro consentiente.

Tunc, nemine respondente sive loquente, ipse Dominus *JOHANNES Episcopus Ostiensis* habuit respondere nomine collegii Cardinalium, quod *placet*.

Deinde ipsi *Commissarii* in ambone, quilibet pro natione sua, videlicet *JOHANNES Patriarcha* pro natione Gallicana, *NICOLAUS Merseburgensis* pro natione Germanica, *ANTHONIUS Episcopus Concordiensis* pro natione Italica, & *PATRITIUS Episcopus Cortagensis* pro natione Anglicana, *placet* responderunt.

Et sic subsequenter omnes ibidem existentes in Concilio & de Concilio similiter responderunt *Placet*.

Subsequenter Dominus *Franciscus Cardinalis Florentinus* levavit se & *voluit legere* unam *schedulam* papyream. Fuit dictum per omnes, quod *non placeret*. Et sic siluit, nihil legendo.

Sigillum Johannis Papæ 23. publicè abolitum.

Deinde de mandato Concilii Dnus *Johannes Archi-Episcopus Rigensis*, bullam Papæ (*in MCS. Lipf.* sive cinigium bullæ Papæ, in *Goth.* sive cureum Papæ) portavit, & præsentavit eam Concilio, tanquam ejus custos. Qua præsentata, fuit per Magistrum *HENRICUM DE PIRO* procuratorem petitum, an placeret quod Dominus *Vice Cancellarius*, tanquam ad eum pertinens, *rumpi* faceret *arma* [*in Lipf.* nomen] *BALTHASARIS*, in eadem. Fuit responsum, quod ita. Et *placuit* omnibus.

Qua bulla recepta, sive ferro, quo bulla fabricabatur, & ibidem in præsentia omnium per Magistrum ARNOLDUM aurifabrum Papæ prædicta bulla fuit *rupta*, *& arma* ipsius *olim JOHANNIS deleta*. Et absolutus Dominus JOHANNES ArchiEpiscopus ab ejus custodia, & pronunciatum, quod fideliter custodivisset & præsentasset.

Super quibus omnibus & singulis idem Magister *HENRICUS De EIRO* promotor petiit sibi fieri nomine, quo supra, ut dictus Dominus ArchiEpiscopus per se, unum vel plura publicum vel publica, instrumentum & instrumenta &c. per protonotarios ibidem præsentes, notarios & tabelliones prædictos.

Præsentibus ibidem illustribus Principibus, *Duce LUDOVICO Bavaria Comite Palatino Rheni*, *HENRICO RUMPOLDO Duce Zaganensi de Slesia*, *JOHANNE JACOBO Comite Aquesana*, *Filio Marchionis Montisferrati*, *Comite BERTHOLDO De URSINIS*, *PHILIPPO Comite de Nassavv*, & Ambassiatoribus Regum Poloniæ, Norwegiæ, Sueciæ, Daciæ, Navarræ & Cypri, & aliis Christi fidelibus in numero copioso.

Decretum, quod non procedatur ad electionem Papæ, si contingat sedem vacare, sine expresso consensu Concilii.

Ex MSC. Brunsv. Lipf. & Goth. nec non Vindob. Dorrian. & Elstr. Parte II. f. 134.

SAcrosancta generalis Constantiensis synodus, Ecclesiam Catholicam repræsentans, ad extirpationem præsentis schismatis, & errorum Ecclesiæque reformationem, in capite & in membris faciendam, in spiritu sancto legitime congregata, ad facilius, celerius, liberius & utilius unionem Ecclesiæ consequendam, pronunciat, decernit, statuit & ordinat. Quod si contingat, sedem Apostolicam quovis modo vacare, in prima illius vacatione ad electionem futuri summi Pontificis nullo modo procedatur sine deliberatione & consensu hujus sacri Generalis Concilii. Et si contrarium fieret, illud sit ipso facto autoritate dicti sacri Concilii irritum & inane. Nullusque electum contra hoc decretum in Papam recipiat, nec illi ut Papæ quomodo adhæreat vel obediat, sub pœna fautoriæ dicti schismatis & maledictionis æternæ. Premanturque hoc casu eligentes & electus, si consentiat ac illi adhærentes, pœnis per hoc sacrum concilium ordinandis. Suspenditque dicta sancta synodus pro bono unionis Ecclesiæ omnia jura positiva, etiam

etiam in Conciliis generalibus edita, & ipsorum statuta, ordinationes, consuetudinesq; & privilegia, quibuscunq; concessa, & pœnas contra quoscunque editas, in quantum effectum dicti decreti impedire possent quoquomodo.

Decretum, quod nullus trium de Papatu contendentium reeligatur in Papam.

ITem decernit, statuit & ordinat dicta sancta Synodus, pro bono unionis Ecclesiæ Dei, quod nullo unquam tempore reeligantur in Papam Dominus *Balthasar de Cossa*, nuper Johannes 23. nec *Petrus de Luna*, Benedictus 13. nec *Angelus Corario*, Gregorius 12. in suis obedientiis nuncupati. Et si contrarium fieret, id sit ipso facto irritum & inane. Nullusque cujuscunque dignitatis & præeminentiæ, etiamsi imperiali, regali, Cardinalatus vel Pontificali dignitate præfulgeat, eis, vel eorum alteri, contra hoc decretum ullo unquam tempore obediat, seu adhæreat, sub pœna fautoriæ dicti schismatis, & maledictionis æternæ, ad quas contra præsumtores, si qui imposterum fuerint, etiam cum invocatione brachii secularis, & alias rigide procedetur.

Decretum de eligendis quatuor judicibus, pro vocandis Prælatis absentibus.

ITem decernit dicta sancta synodus, quod quatuor generales judices deputati debeant vocare Prælatos absentes, ad Synodum, & punire non venientes, prout eis de jure & secundum Deum videbitur expedire. (In *Vind. Codice Elstrav. Parte II. f.* 134. *b.* Decretum præsens hoc refertur verborum tenore: Item decernit &c. Quod Præsidentes quatuor nationum citare & vocare habeant & debeant prælatos omnes & compellere, ut sacro Concilio se præsentent, juxta formam deliberandam, prout nationibus videbitur expedire.

In Wolffenbutt. Cod. clauditur Actorum series Depositionis confirmatione, à superius exhibita forma nonnihil diversa: *Quibus sicut præmittitur lectis, Dn. Joh. Episc. Ostiensis Præsidens proposuit, quod si aliquis esset ibidem præsens, dicta sententia definitiva contradicere volens seu ejus pronunciationi, surgeret & diceret. Et in casu quo non dixerit, habebitur talis pro consentiente. Tunc nemine respondente sive loquente, ipse Dn. Ostiensis habuit respondere nomine Collegii Cardinalium, quod placet. Deinde ipsi Commissarii in ambone, quilibet pro natione sua, videlicet Johannes Patriarcha pro Natione Gallicana, Nicolaus Mersburgensis pro natione Germanica, Anthonius Episcopus Concordiensis pro Natione Italica, & Patricius pro natione Anglicana, placet, responderunt.*

d. 30. Maji A. 1415.

Solennissima ac splendidissima Processio religiosa circa urbem Constantiæ, per Cæsarem, Imperii Electores, Principes, universumq; clerum, summum & imum, Constantiæ congregatum, magnifice celebrata.

die Jovis, Festo Corporis Christi, 30. Maji, A. 1415.

Dacherius, in sua Concilii Constantiensis historia, pompam & splendorem fulgoremque solennissimæ hujus Processionis fuse depinxit. Vid. infr. *Tom. V.*

Quinque Cardinales à Concilio ad depositum Papam Johannem 23. Cellas ablegati, qui per Concilium omni illum Papatus honore nudius tertius privatum

& sede motum nunciarent.

die Veneris, postridie Festi Corporis Christi, 31. Maji, A. 1415.

d. 31. *Maj.* A. 1415. Funestus hic Johanni dies, descriptus à Cerretano:

Tandem Concilium quinque ex Cardinalibus, scilicet Jordanum Ursinum, Petrum Cameracensem, Antonium Chalancum, Amedeum Saluciarum, & Franciscum Florentinum, ad Joannem destinavit, qui persuaderent, ne Concilio contradiceret, sed depositioni à Pontificatu libenter consentiret. Quod si recusaret, renunciarent, graviora posse adversum illum à Concilio decerni.

Balthasar de Cossa, antea Papa Johannes 23, remotionem ac depositionem suam in Concilio factam, Cellis in custodia approbavit, & pro majori robore solenniter cessit.

Præsentibus V. Cardinalibus Concilii legatis.

Eodem die Veneris, 31. Maji, A. 1415.

d. 31. *Maj.* A. 1415. Cardinales legati ad Papam hodie penetrantes, *sententiam* Concilii de illo antea jam à Papatu suspenso, nunc prorsus privato, exuto, remoto & dejecto, *scriptam* exhibuerunt, quærentes, utrum approbaret, aut quod contradiceret, haberet? Sententiam feralem accepit, tacite legit, & se post paucas horas mentem suam de illa explicaturum promisit.

Horis paucis elapsis vocati circa horam secundam post meridiem ad Balthasarem legati Cardinales. His plenam sententiæ confirmationem dedit, se Papatu dejectum agnoscens, & juramento ratum habens: Prolixo ea de re facto instrumento ac testimonio. Cerretanus: *Respondit Johannes, se velle Concilio in omnibus obtemperare, atq; sententiam depositionis acceptare. Quod etiam manu propria subscripsit.* Quæ omnia in relatione Cardinalium *sequenti die* abunde commemorata.

Neque vero depositionem aut dejectionem ab omni dignitate probavit solum, sed & amplioris confirmationis ergo peculiarii nova formula *cessit ac sese Papatu plane abdicavit*, ac omni juri prorsus renunciavit, cruce Papali è suo conclavi sublatâ. Quæ similiter *ex sequenti relatione* ac fide dignis *instrumentis* jussu Balthasaris factis constant. Conf. infr. *die* 24. *Apr. A.* 1417.

Congregationes pro formandis articulis contra Huss.

hoc mense Maji, à festo Pentecostes, A. 1415.

Ex quo Papa Johannes proxime ante festum Paschatos Constantiam reliquerat, *Hussus* Gotlebiam ire ibique fata sua in carcere expectare jussus. Neque forte res Hussi tam cito fuisset expedita, nisi *Hieronymi Pragensis* fuga, & præcipue novum in Bohemia à *Jacobo de Misa* suscitatum negotium Eucharisticum interea accessisset. Hoc siquidem postremum quamprimum Concilio innotuit, Hussum vehementer oneravit insontem, ejus instituti nullo plane modo conscium aut participem. Episcopus enim Lutomislensis, præ aliis Concilio novum illud Bohemorum facinus mox exposuit, odiumque ex eo majus Husso & Bohemiæ conciliavit.

Quæ *nova fata* ansam dederunt Bohemis, in Concilio præsentibus, *rem Hussi* ita aggrediendi, ut tum è carcere eum Gotlebiensi liberari peterent, tum iniquos de novo Eucharistico illo Bohemorum negotio susurros mitigarent. Id quod nuper *die* 14. *Maji* publico aggressi scripto, quod Concilio obtulerunt.

A quo tempore *Hussi causa* majori motu tractari cœpit, affectibus utriusque vehementer concitatis. Quapropter *die* 16. *Maji*, Lutomislensis Episcopus, *negotium Sacramentale Jacobi de Misa* palam in medium produxit, eoque nomine

mine Bohemos accuſavit, & in rem inquiri petiit. Huſſum quoque è carcere haud liberandum eſſe, edixere reliqui. Ex quo ſtatim, *die* 18. *Maji*, innocentiam Huſſi longa oratione pertexere Bohemi, & è vinculis eum liberari denuo obſecrare.

Quod cum fieret vigiliâ Pentecoſtes, cum feriis elapſi plures dies, quod nihil reſponſum.

Interea inquiſitio contra Huſſum formata ac inſtructa, articulis contra eum collectis.

Jam pridem *formati* quidem fuerant *articuli aliqui in principio hujus anni*, cum menſe Januario carcere clauſus eſſet Huſſus.

Ad quos reſpondere jam tum in carcere jubebatur. Quod *die* 19. *Jan. die ante Feſtum Fabiani*, Bohemis per literas denunciavit.

Circumferuntur etiam *articuli, quos Michael de Cauſis pro condemnatione Hus, cum noviter incarceratus eſſet, omnium primos Papæ Johanni* 23. *obtulerit.* Quos autores vitæ Huſſi recenſent. Verum, non primos illos omnes fuiſſe articulos, nec Papæ Johanni oblatos, conſtat manifeſte ex primo articulo, qui hic eſt: *Primo errat circa Sacramenta Eccleſiæ & ſignanter Corporis Chriſti, quod publice ad populum prædicavit, id miniſtrandum populo ſub utraq; ſpecie, ſcilicet corporis & ſanguinis. Patet iſte articulus, quia jam in Praga ſui diſcipuli miniſtrant illud ſub utraq; ſpecie.*

Qui articulus nullo modo attingit memoratum tempus. Siquidem præſente Papa Johanne in Concilio, ne in Bohemia mota quidem ſacramentalis illa quæſtio de Communione ſub utraque. Quæ ſub ipſam fugam Papæ è Concilio Pragæ demum per Jacobum de Miſa propoſita. Ac deinde in populi uſum, poſt Papæ è concilio fugam, Pragæ introducta. Eamque novam Bohemorum rem Lutomislenſis noviſſime demum, dudum jam è Concilio abſente Johanne, Concilio nunciavit.

Vel igitur articuli illi, à Michaele de Cauſis collecti, hoc ipſo tempore, cum inquiſitio in Huſſum formaretur, Johanne Papa ad devotionem perducto, ſunt delineati, vel ſuperioribus nunc repetitis ac renovatis aliqui ſunt additi.

Nec mirum, *primum* illum *articulum de communione ſub utraque* poſtea ex articulorum Huſſiticorum catalogo fuiſſe eliminatum, cum frequenter illi catalogi formarentur ac mutarentur. Deprehenſumque tandem, novum hoc Bohemorum inſtitutum Sacramentale Huſſo acceptum non eſſe ferendum, ab alio, Jacobo de Miſa, Huſſo inſcio & abſente, nuper demum ſuſcitatum.

Adornatos autem *hoc tempore* inquiſitionis Huſſiticæ fuiſſe articulos, & à pluribus compoſitos, ac è libris ejus excerptos, patet ex publica Bohemorum querela, *die* 31. *Maji*, paulo poſt, coram Concilio libello ſupplici effuſa.

Congregatio Nationum
præſente Cæſare Sigismundo,

d. 31. *Maj.* *A.* 1415.

die Veneris, poſtridie Feſti Corporis Chriſti, 31. *Maji*, *A.* 1415.

De negotio Huſſi, è carcere Gotlebienſi Conſtantiam proxime reducendi ac publice examinandi.

Deſideraverant nuper, *die* 15. *Maji*, Bohemi, Huſſi vincula ſolvi, & publice illum audiri. Non reſponſum tunc nacti Bohemi. Aſt articulos inquiſitionis contra Huſſum magno ſtudio formari quotidie accipiebant. Qua de cauſa, labente hoc menſe, in congregatione Nationum præſentis diei comparuerunt, ſua pro Huſſo liberando & audiendo petita ſollicitius repetentes. Quod autem Cæſar in principio congregationis non ſtatim adeſſet, ſerius adveniens, prælegi Bohemorum deſideria non audivit. Quæ cauſa fuit, quare Bohemi, finitâ congregatione, libellum hunc ſuum Concilio prælectum Cæſari quoque privatim offerrent ac commendarent.

Nobili-

Nobilium Bohemorum, Constantiæ existentium, supplex pro Husso è vinculis liberando & publice audiendo libellus, in præsenti congregatione exhibitus.

Reverendissimi in Christo Patres & Domini. Nuper fuit pro parte Domi-
norum & *Nobilium Bohemiæ & Polonicæ Nationis* Vestris Paternitatibus supplica-
tum, ut eisdem paternitatibus considerare placeret, quomodo *informationes* ipsis
paternitatibus *factæ per æmulos* Magistri *Johann. Huß* fuissent insufficientes, &, cum
reverentia loquendo, in pluribus claudicantes, & in salvo conductu Regio, & in
aliis Articulis, ut in *schedula tunc oblata* clarius continetur. Super qua tamen
schedula & aliis tunc productis *non habere potuerunt responsum.* Quapropter sup-
plicant iidem Domini dictis vestris Paternitatibus, quatenus *adhuc* placeat di-
ctam schedulam intelligere, & *responsum* ipsis de eadem *dare.* Et præsertim, con-
sideratis gravaminibus illatis Magistro Johanni Hus, quæ ex dicta schedula &
præcedenti colligi possunt, velitis misericorditer advertere, quod hujusmodi
gravamina, ab omni charitate aliena, per æmulos suos eidem *ex odio & invidia*
inferuntur.

Ut igitur illorum confundatur malitia & clara veritas illucescat, placeat
scire dictis vestris Paternitatibus, quod notum est Baronibus, Nobilibus, Oppi-
danis, Clericis & Laicis Regni Bohemiæ, quod Magister *Johannes Huß* in omni-
bus actibus suis, scholasticis & Ecclesiasticis, & signanter in prædicationibus pu-
blicis, fecerit *& facere consvevit* hujusmodi *protestationes*, quas etiam sine ullo fa-
cto contrario validas habere curavit, prout in hac *protestatione sua patenti*, per i-
psum circa quæstionis cujusdam determinationem aperta, cuilibet intuenti cla-
rere poterit evidenter, quæ in forma sequitur & est talis.

Quia super omnia desidero honorem Dei, profectum Sanctæ Ecclesiæ, & ut sim fidelis
membrum Jesu Christi Domini, qui est Caput & sponsus Ecclesiæ sanctæ quam redemit:
Igitur, sicut prius feci sæpius, ita & nunc facio istam protestationem: Quod nunquam per-
tinaciter dixi, nec volo in posterum aliquid dicere, quod foret contrarium credibili veri-
tati. Denique quod tenui, teneo, & firmiter tenere desidero omnem veritatem credibilem,
sic, quod antequam vellem errorem contrarium defendere, potius in spe & auxilio Domini
paterer supplicium diræ mortis. Imo adjutus Dei auxilio paratus sum vitam miseram pro
lege Christi exponere, quam credo secundum quamlibet ejus particulam esse datam sacra-
tissimæ Trinitatis consilio, & per sanctos Dei homines pro salute humani generis promul-
gatam. Credo insuper illius legis singulos articulos, ad illum intellectum, ad quem benedi-
cta Trinitas præcepit illos credi. Unde sicut in responsionibus & actibus scholasticis ac in
prædicationibus publicis me submisi sæpissime, ita & nunc submitto, & in posterum volo
humiliter submittere hujus sacratissimæ legis ordinantiæ & reconciliationi ac obedientiæ,
paratus revocare, quicquid dixero, doctus, quod sit contrarium veritati.

Ex qua quidem protestatione & aliis modis Protestationum, per eundum
Magistrum Johannem observatis, bene colligi potest, de intentione sua esse &
fuisse, quod non voluerit, nec velit in libris suis, tractatulis, doctrinis & publicis
prædicationibus, aliquid scripsisse, dixisse, vel aliquos posuisse articulos, quos sci-
enter novisset erroneos, scandalosos, seditiosos, pias aures offendentes, aut Hæ-
reticos, cum tamen sibi talia per æmulos, licet frustra, impingantur. Sed de prin-
cipali intentione sua fuit & est, quælibet puncta seu conclusiones & articulos,
in libris suis ac doctrinis repertos, ad hunc finem posuisse, juxta fulcimenta Ev-
angelicæ veritatis, & sacrorum Doctorum, sacrarumque scripturarum glossito-
res, in & ad finem in protestatione sua expressum. Et si in aliquibus reperiretur
defectuosus, vel insufficiens, vel si ab aliis non bene intelligeretur, per ejusmodi
informationes, dirigi, corrigi, intelligi, & illuminari, & nequaquam aliquem ar-
ticulum contra sacrosanctam Romanam Ecclesiam & Catholicam fidem quo-
vismodo pertinaciter defendere & sustinere.

Quare

Quare Reverendissimi Patres, cum, præmissis non obstantibus, æmuli ipsius
" ex ingentibus odiis *nonnullos Articulos de libris dicti Johannis Huß truncatim & syn-*
" *copatim extrahant & extraxerint*, rationes & allegationes eorum rejiciant, vel non
aspiciant, distinctionesque æquivocationum non advertant, *fictosque Articulos &*
" *mendosos contra eundem componant*, ad eum finem, ut omni charitate seclusa eun-
dem de statu & vita sua ejicere valeant, contra salvum conductum, eidem Magi-
" stro Johanni Hus, per Serenissimum Principem Dominum Sigismundum, Roma-
" norum & Hungariæ Regem, justa & sancta intentione patenter assignatum: Pro
excusatione sua justa', contra omnes æmulorum suorum infestationes, & frivo-
" las accusationes, & non solum ipsius Magistri Johannis Hus, sed & præclari Regni
Bohemiæ, & pro opportuna sedatione hujusmodi æmulationum, in dicto Re-
" gno Bohemiæ & alibi exurgentium: Quarum æmulationum periculosarum subla-
" tionem in dicto regno Bohemiæ, Dominus *Rex Romanorum* summopere deside-
rat & affectat, ut dicti Regni hæres & Dominus successurus:

" Unde supplicant dicti *Barones & Nobiles*, ut attentis præmissis, & considerata
" infamia, quæ dicto Regno & incolis ex prædictis possunt evenire, velitis inter-
ponere partes vestras, & *dare ordinem & modum*, quo dictus Magister *Johannes Huß*
" per illuminatos viros & scripturæ sacræ Magistros, præsentes, deputatos, & ali-
os deputandos, *distincte audiatur* super omnibus articulis eidem imponendis, ad
" declarandam intentionem suam & mentem Doctorum, pro intentione sua alle-
" gatorum, distinctionumque multiplicitates & æquivocationes, in quibus ut plu-
rimum Articulorum suorum excerptores secum æquivocant. Ut sic *ad depositio-*
" *nem testium*, quorum *multi ejusdem fuerunt & sunt à longo tempore capitales inimici*, &
ad instigationem frivolam æmulorum suorum, *cum ipse captivus teneatur* tam mi-
" serabiliter, *inauditus non damnetur*, cum ex dictis declarationibus Paternitates
" Vestræ de veritate clarius possint informari, & ipse semper paratus sit defini-
tioni Sacrosancti Concilii se subjicere. Nam Paternitates Vestræ ad fictas &
" dolosas svasiones æmulorum ejus ita informatæ sunt, quod Magister Johannes
Hus sit in periculosis Articulis à longo tempore incorrigibiliter obstinatus:
" Quod dictæ Paternitates tunc clare conspicere poterunt esse falsum.

" Et ad hujus evidentiam amplius ostendendam, offertur Paternitatibus Ve-
stris *instrumentum publicæ recognitionis* Reverendissimi in Christo Patris Domini
" *Nicolai Episcopi Nazarethensis, & inquisitoris hæreticæ prævitatis diœcesis Pragensis per se-*
" *dem Apostolicam specialiter deputati*, per vestras paternitates diligentius auscultan-
dum. [Testimonium Episcopi Nazaretani hic prælectum videatur alibi.]

" Placeat igitur Vestris Reverendissimis Paternitatibus, Magistrum *Johannem*
" *Huß*, non convictum, non condemnatum, jubere *extrahi de vinculis* & compedi-
bus, in quibus nunc graviter detinetur, & ponere eum in manibus aliquorum
" Reverendorum Dominorum Episcoporum vel commissariorum, à sacro præ-
senti Concilio deputatorum vel deputandorum, ut ipse Magister Johann. Hus
" valeat in suis viribus recreari, & per dictos Dominos Commissarios diligentius
" & *commodius examinari*. Et propter majorem assecurationem dicti Barones &
Nobiles Regni Bohemiæ volunt de tutissimis providere fidejussoribus, qui fidem
" suam non frangerent pro ulla re mundi, quique ita fidejubebunt pro ipso,
quod non effugiet de manibus dictorum Commissariorum usque ad exitum
" negotii.

" In præmissorum executione efficaci, statui, famæ & honori dicti Regni Bo-
hemiæ & salvo conductui Serenissimi Principis, Romanorum Regis, salubriter
" providentes, & ne inimici honoris & famæ dicti Regni Bohemiæ, & Domino-
rum supradictorum obtrectatores possint ipsis Dominis nonnihil detrahere,
" prætendentes forsitan in posterum, quod illicita & inordinata petiissent, peti-
" mus ad obviandum istis malis, ut vestræ Paternitates hanc *nostram petitionem* per

„ notarium vestrum publicum in formam publicam redigi & transsumi velitis de-
„ cernere & gratiosius consentire.

Prælecto hoc Bohemorum libello, & per Patres examinato, Cæsar in Congregationem cœtumve præsentem venit. Qui *pro Husso publice audiendo* strenue pugnasse fertur. Ut in *publicam apologiam* cum Cæsare consentirent ceteri omnes. Id quod Husso, soluto cœtu, mox significavit *Joannes de Chlum*, epistola Gotlebiam ea de re data. *Sciatis*, inquit, *quod Rex fuit hodie cum Deputatis omnium Nationum totius Concilii, loquens de factis Vestris, & præsertim pro audientia publica. Cui omnes illi finaliter & conclusive responderunt, quod utique audientiam publicam habebitis. Et pro illo Vestri amici instare volunt & instant, quod utique in aliquo loco arcto sitis, ut vos possitis recolligere, & in vobis recreari.*

Quid ergo nomine Concilii per *Patriarcham Antiochenum* Bohemis fuerit ad singula petitionis membra responsum, *antiqvus rerum Hussi scriptor* notavit, ex quo *Crispinus*, ceterique. *Perlecto*, inquit, *hoc scripto coram deputatis quatuor Nationum, Patriarcha Antiochenus omnium nomine respondit ad singula capita ipsius scripti, sed brevissime.*

Primum, quod ad protestationem Johannis Hus pertineret, fueritne vera & firma, an non, in ipsius causa processu palam futurum. Deinde, quia dicant, adversarios Johannis Hus nonnulla perverse ex ejus libris excerpsisse, id quod in exitu causa res ipsa ostendat. Ubi si Johannes Hus injuste accusatus esse decernetur, tunc fore ut adversarii in perpetuam incidant ignominiam. Sed de fidejussoribus, etiamsi mille dentur, tamen fieri non posse, salva conscientia Deputatorum Concilii, ut reciperent eos in causa ejus viri, cui nullo modo fides habenda esset. Hoc tamen se facturos, ut ad quintum Junii Johannes Hus iterum Constantiam advehatur, & habeat coram ipso Concilio liberam dicendi potestatem, seque eum pie & benigne audituros esse.

Supplex Libellus Bohemorum, Constantiæ collectorum, pro Husso Cæsari Sigismundo Constantiæ oblatus, post superiorem congregationem.

d. 31. Maj. A. 1415.

Eodem die Veneris, 31. Maji, A. 1415.

Quod in superiori congregatione Cæsar serius comparuisset, neque adeo quid in principio actum audivisset, Bohemi sui petiti causam Cæsari quoque privatim exponendam ac commendandam judicarunt, hoc exhibito *supplici libello.*

Serenissimo Principi, Domino Sigismundo, Romanorum Regi semper Augusto, & Hungariæ, Croatiæ, Dalmatiæ &c. Domino nostro gratiosissimo, sinceram & fidelem in omnibus servitutem.

Serenissime Princeps & Domine gratiosissime. Serenitati vestræ significamus, quod nos unanimi consensu & pari voto concordes, hanc nostram inferius descriptam, rationabilem, justam, & exanditione dignam petitionem Reverendissimis in Christo Patribus & Dominis, quatuor nationum Deputatis, totiq; sacro Constantiensi Concilio duximus porrigendam. Cujus tenor per omnia de verbo ad verbum sequitur & est talis:

Reverendissimi in Christo Patres & Domini &c. (Vide supra in Congregatione hujus diei.) *Harum ergo rationabilium & justarum petitionum dictis Dominis porrectarum intuitu, vestræ supplicamus regiæ Majestati, quatenus amore justitiæ & famæ præclari regni Bohemiæ, cujus absq; dubio hæres & Dominus successurus fore dignoscimini, & vestri salvi conductus libertati providentes, erga dictos reverendissimos Patres & Dominos velitis interponere partes vestras, ut nos in hac justa petitione nostra, ipsis, ut præfertur, oblata, velint effectualiter audire. Ne autem inimici honoris & famæ præclari regni Bohemiæ & nostri pariter obtrectatores nobis imposterum possent detrahere, prætendentes, nos illicita & inordinata à Reverendissimis Dominis postulasse: Ideo ab eis petivimus, quatenus nostræ schedulæ tenorem velint decernere sua manu publica autenticandum. Similiter & vestram Serenitatem rogamus, quatenus vestra Serenitas dignetur & velit nobis dare testimonium præmissorum.*

Bohemi

Bohemi, Constantiæ congregati, per Johannem de Chlum apertam & plenam sententiam rationesque de Communione calicis, ab Husso petiverunt.

eodem die Veneris, 31. *Maji*, *A.* 1415. *d.* 31. *Maj.* *A.* 1415.

Congregatione hodierna solutâ, sententiaque pro Husso publice in Concilio audiendo inpetratâ, Johannes de Chlum Husso, Gotlebiæ in carcere hærenti, decretum Cæsaris & Concilii statim per literas aperuit, ut supra jam subindicatum. Sed & eadem epistolâ *rogatus Hussus sententiam* apertam & plenam *dicere*, additis rationibus, *de communione sub utraq;*, novissime in Bohemia Pragæ per Jacobum de Misa resuscitata & in plebem introducta. *Rogamus intime*, scribit, *quod motivam & finalem intentionem vestram, De communione calicis, si videbitur, præsenti chartæ inferatis, amicis tempore suo monstrandam. Quia fratrum adhuc aliqualis est scissio, & propter illud multi turbantur: Ad vos & arbitrium vestrum juxta scripta quædam se referentes.*

Fecit statim Hussus, quod optaverant Bohemi. Paucis sententiam suam in responsione ad Chlumæum Gotlebiensi, ita expressit: *De Sacramento calicis habetis scriptum, quod scripsi in Constantia, in quo sunt motiva. Et nescio aliud dicere, nisi quod Evangelium & Epistola Pauli sonant directe, & tentum fuit in primitiva Ecclesia. Si potest fieri, attentetis, ut saltem permittatur per bullam illis dari, qui ex devotione postulaverint, circumstantiis adhibitis.*

De cetero, nondum plane expeditum, quoddam illud *scriptum*, & quando scriptum, in quod collimat Hussus, *De sacramento calicis*, Constantiæ exaratum, an, quod in operibus Hussi circumfertur hoc titulo: *De sanguine Christi sub specie vini à laicis sumendo, Quæstio Magistri Johannis Huß, quam Constantiæ scripsit priusquam in carcerem conjiceretur: Utrum expediat laicis fidelibus sumere sanguinem sub specie vini?* Quæ sane epigraphe scrupulis videtur haud carere: An aliud? Hoc autem hic expedire, jam non vacat, nec locus est.

Congregatio Deputatorum IV. Nationum

die Sabbati, feria septima post Trinitatis, 1. *Junii*, *A.* 1415. *d.* 1. *Junii* *A.* 1415.

Commissarii, Cellis à Balthasaro reversi, responderunt, quod Johannes Papa acquieverit sententiæ, se Papatu dejectum agnoscens & cedens.

Breve abdicationis Johanneæ argumentum dedit *Platina, in Vita Johannis* 23. *ex quo de verbo ad verbum* Nauclerus. *Causam fugæ disquirere concilium tum cœpit, certosque judices viros gravissimos & doctissimos delegit, qui crimina Johanni [homini] objecta discuterent, eademque Concilio ex ordine referrent. Ad XL capitula & eo amplius contra hominem probata sunt. Quorum aliqua cum in eo minime immutari possent, (adeo erant inveterata) contra fidem judicata sunt, aliqua verò Christianis omnibus, si non damnarentur, scandalum paritura. Venientibus itaque omnibus in eandem sententiam, Joannes merito à Pontificatu dejectus sententiam in se latam comprobat.* Addit Nauclerus: *Pontificatu, sive sponte sive invitus, se abdicavit.*

In MSC. Lipſ. & Goth. ANno Domini, & indictione, quibus supra, sede Apostolica pastore carente, die vero *Sabbati*, *prima mensis Junii*, fuit *congregatio deputatorum quatuor nationum*. In qua venerunt *d.* 31. *Maj* legati, seu commissarii, qui heri iverunt ad Reverendissimum in Christo patrem, Dominum *Balthasarem de Cossa*, nuper Papam Johannem XXIII. nuncupatum, ad publicandum & intimandum sententiam contra eum latam. Et exposuerunt ibi ambassiatam eorum, referentes, quod heri, *die Veneris*, quæ erat *ultima mensis Maji*, Reverendissimo

ſimo in Chriſto Patri, Domino Balthaſari ſupradicto, *in oppido Cellæ* in Camera ſua perſonaliter exiſtenti, ſignificabant & intimabant ſententiam definitivam depoſitionis à papatu, contra eum *die Mercurii* ultima præterita, quæ erat *XXIX. menſis Maji*, per ſacroſanctum generale Concilium Conſtantienſe in ſeſſione publica latam & publicatam fuiſſe. Quam quidem ſententiam definitivam ibidem ſibi in ſcriptis exhibuerunt, & realiter tradiderunt, dicentes: An eidem ſententiæ eandem approbando acquieſcere, ſeu eidem in aliquo ſe opponere, vel contradicere vellet. Qui quidem Dominus *Balthaſar* ipſam ſententiam ſibi traditam reverenter recepit, & eam ad partem legit, & dictos legatos gratanter acceptavit, ſupplicans & reſpondens eisdem, ut ſupplicarent concilio & nationibus, ut haberent eum recommiſſum in ſtatu & honore ſuo. Et dixit, quod temporis intervallum habere voluit, ut ſuper reſponſione petitorum & propoſitorum ac eadem ſententia deliberare poſſet. Quibus Commiſſariis tunc abeuntibus, & poſt aliquod tempus, ſcilicet per duas horas, pro audienda reſponſione ſuper præmiſſis vocatis, & coram Domino Balthaſare iterum conſtitutis, reſpondendo dixit, quod ſuper ſententia per eum viſa, & intellecta, deliberaverat, & ideo eandem ex ſua certa ſcientia approbabat & ratificabat. Ac alias fecit & dixit, prout & quemadmodum in quodam publico *inſtrumento* deſuper confecto, cujus tenor inferius eſt inſertus, plenius continetur & habetur.

Tenor dicti inſtrumenti publici, de quo ſupra fit mentio, ſequitur de verbo ad verbum & eſt talis.

Inſtrumentum publicum, quo Johannes Papa Papatui prorſus ſe valedixiſſe teſtatus eſt.

In MSC. Br. Lipſ. & Goth. IN nomine Domini Amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis pateat evidenter, quod anno à nativitate Domini Milleſimo, Quadringenteſimo, decimo quinto, & *die Veneris, ultima menſis Maji*, indictione octava, circa horam XII. in loco *de Cellis* Conſtantienſis diœceſeos, in domo habitationis Reverendiſſimi in Chriſto Patris, Domini BALTHASARIS COSSÆ nuper Johannis Papæ 23. nuncupati, in camera ipſius Balthaſaris, præſentibus infraſcriptis Reverendis in Chriſto patribus Dominis, Jacobo Rhodini de Janua, Thoma Polton de Anglia, ſedis Apoſtolicæ Protonotariis, aliisque notariis publicis, ac etiam infraſcriptis teſtibus ad inferius recitata vocatis & rogatis, Reverendi in Chriſto Patres, Domini Johannes Vaurenſis Epiſcopus, GASPAR, ſancti Johannis eremitæ de Peruſio decretorum Doctores, & THOMAS, beatæ Mariæ extra muros Eboraci, monaſteriorum Abbates, perſonaliter exiſtentes in præſentia dicti Domini BALTHASARIS, pridie JOHANNIS Papæ XXIII. nuncupati, per organum dicti Domini Vaurenſis Epiſcopi ex parte ſacri generalis Concilii Conſtantienſis ſibi ſignificabant, & intimabant *ſententiam definitivam depoſitionis à Papatu*, contra eum die Mercurii ultimo præterito, ſcilicet XXIX. præſentis menſis Maji, per dictum generale Concilium in ſeſſione publica *latam* & publicatam fuiſſe.

Quam quidem ſententiam ibidem ſibi in ſcriptis exhibuerunt, & realiter tradiderunt, ad finem, quod ea plenius intellecta diceret, declararetque, an eidem ſententiæ, eam approbando acquieſcere, ſeu eidem ſe in aliquo opponere, vel contradicere vellet.

Qui quidem Dominus BALTHASAR ipſam ſententiam ſibi traditam per ſe ipſum ad partem legit, & deinde reſpondendum eisdem Prælatis ſuper præmiſſis per eos propoſitis ſpatium & temporis intervallum habere voluit, ut ſuper eadem ſententia & petitis deliberaret. Qui quidem Prælati de hoc contenti dixerunt, eos habita deliberatione hujusmodi ad ſuum beneplacitum ad ipſum redire velle, ſuam reſponſionem in præmiſſis audituri.

Et

Et sic ab ejus præsentia pro tunc recesserunt.

Et deinde eadem die, & circa horam secundam post meridiem, iidem Domini Prælati ex parte dicti Domini BALTHASARIS & ad ejus præsentiam pro audienda responsione in præmissis vocati, ad eum personaliter accesserunt. Quibus, cum supra dictis notariis, protonotariis & testibus in ejus præsentia constitutis, respondendo dixit, quod super dicta sententia per eum visa, lecta, bene concepta ac plenius intellecta, deliberaverat, & ideo, quantum poterat, & in eo erat, eandem sententiam, cujus tenor talis est: *In nomine* &c. ut supra, prout per dictum Concilium lata, & ab ipso concilio processerat, & dictata erat, ex sua certa scientia *approbabat*, ratificabat, & emologabat, (in Goth. emulgabat) ac eidem, & processui, contra eum ad ejus depositionem per Concilium facto, acquiescebat, & consentiebat. Apponendoque manum ad pectus ejus, assertione libera affirmabat, jurans corporaliter, suo proprio motu, quod nunquam contra eandem sententiam, contra ipsum sic, ut præmittitur, latam, quidquam opponere, vel contra eam reclamare, publice vel occulte, aut ab ea appellare vellet, seu super papatu quamcunque controversiam opponere, nec aliquo unquam tempore de eodem papatu se quovis modo intromitteret. Imo eidem papatui, & juri quod in eodem sibi qualitercunque competierat, seu, si quod sibi nunc in eodem competebat, pure, simpliciter & absolute, libereque, & sponte cedebat, & renunciabat. Et ibidem omni modo, via & forma, quibus melius potuit, *resignavit, cessit & renunciavit*, expresse. Et in hujus signum jam *de Camera sua crucem papalem amoveri fecerat*, & si vestes mutatorias habuisset, omnia & singula *papalia insignia*, sicut deposuerat dicta die Mercurii, qua dicta sententia fuit lata, tunc coram Prælatis prædictis deposuisset. Dixitque, quod nullo unquam tempore se pro Papa gereret, seu nominaret, aut nominari faceret. Et voluisset, quod ad ipsum papatum nunquam fuisset assumtus, *quia ex post nunquam habuit unum bonum diem*, Et si contingeret casuque quod in futurum reeligerètur, nunquam suum præberet assensum. Adjiciens tamẽ, quod si aliqua persona singularis post jam facta præmissa in sui personam quicquam criminis ulterius objicere vellet, ad ulteriorem processum contra eum habendum, seu graviorem pœnam in ipsum infligendam, quod in hoc se ipsum defendere vellet sub dicti generalis Concilii protectione, quod pro suo judice & defensore recepit. Supplicans humiliter, quod in hoc & in aliis concilium sacrum & Regia Serenitas ipsum haberent specialiter recommissum. Volens & requirens idem Dominus BALTHASAR, quod de omnibus his & singulis præmissis fierent & retinerentur publica instrumenta pro bono unionis Ecclesiæ sanctæ Dei, ad perpetuam rei memoriam, per Dominos protonotarios sanctæ sedis Apostolicæ & alios notarios publicos, ibidem tunc præsentes, ad hoc vicibus repetitis instantius requisitos. Quibus sic per eundem BALTHASAREM & prælatos supra nominatos dictis, propositis, factis, gestis, habitis & responsis, iidem Domini prælati per organum dicti Episcopi Vaurensis petierunt, & requisierunt, fieri, confici, & perpetuo retineri publicum & publica instrumentum & instrumenta, per dictos protonotarios, & notarios publicos infrascriptos.

Acta fuerunt hæc anno, die, mense, indictione, loco & hora, quibus supra. Præsentibus reverendis in Christo patribus, Dominis VITALE Tholonensi, & FRIDERICO Augustensi, Episcopis, ac venerabilibus, religiosis & circumspectis viris, Dominis & fratribus, EYMERICO De ARCIUS, Licentiato in decretis, Priore prioratus sanctæ Benignæ Augustensis, PONTIO GAUDÆ Baccalareo in Theologia, ordinis fratrum minorum, BEGONE DE ROGERIO in decretis Licentiato, Sistaricensis & Rigensis Ecclesiarum Canonico, officiali Uticensi, PETRO GAJETANI, literarum sanctæ pœnitentiariæ scriptore, Canonico Conseranensi, JOHANNE GOSSELINI,

SELINI, Baccalaurio in decretis, Archipresbytero Eccles. Astensis, HENRICO de GRAVIA, notario publico Leodiensis diœceseos, testibus ad præmissa &c.

Hussitæ, Bohemi & Poloni, Constantiæ in Concilio existentes, disertam Hussi de sua doctrina defendenda sententiam exposuerunt.

in Congregatione Nationum hujus diei.

d. 1. Junii An. 1415. Definitus pridie fuerat dies, quo Hussus Constantiam retrahendus audiendusque. Quare Husso addicti in proxima hodierna sive ante sive pomeridiana congregatione, libello, Concilio exhibito, exposuerunt, qui Constantiam sub salvo conductu venisset, paratum esse, singulis postulantibus rationem suæ doctrinæ reddere, imò nequaquam pertinaciter defensurum quicquam, sed si melius foret edoctus, revocare ac mutare constituisse.

Husso in carcere adhuc Gotlebiensi hærenti oblati hoc tempore per Concilii Deputatos articuli ex libris ejus excerpti, XXX. & ad eorum revocationem privatim invitatus.

Ante quam Constantiam retraheretur, ibi audiendus vel & condemnandus Hussus, *Gotlebiæ* in carcere quæstionibus tentatus, & ad animi sententiam mutandam invitatus.

Deputati Concilii ex nationibus collecti, in quibus & *Bertholdus de Wildungen.*

Oblati verò articuli XXX, infra in Sessione publica die 6. Julii, ante supplicium recensiti, quorum primus, *Unica est sancta Universalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum universitas* &c.

Quid Hussus in hoc examine responderit, in publica Sessione *die 6. Julii* memoratum per laudatum Wildungen. *Dominus Bertholdus Wildungen dicit, quaeter ipso Johanne aliàs in castro Gotleben Constantiensis diœcesis existente & ibidem detento articuli memorati* (30) *fuissent sibi ibidem præsentati per certos deputatos, inter quos ipse Bertholdus de Wildungen extiterat unus. Et idem M. Johannes Huß fuit interrogatus, an vellet dictos articulos defensare aut confiteri. Qui Magister Johannes Hus tunc submisit se determinationi Concilii.* De quo & similibus *privatis examinibus* suoque *responso* testatus ipse Hussus, literis post examina publica 5. Junii scriptis: *In audientiis privatis valde multis, postea in audientiis Concilii publicis, protestatus sum me velle subjici informationi, directioni & revocationi & pœnæ, docto, quod aliquid scripserim, docuerim, vel in responsione dixerim, quod foret contrarium veritati.*

In eadem Epistola observat fata quædam examinis Gotlebiensis, in publica Concilii congregatione objecta: *Cardinalis præsidens in Concilio* (Johannes Ostiensis) *dixit: Tu in castro* [Gotleben] *loquebaris humilius: Ego dixi: Quia me nullus tunc inclamabat, nunc autem clamant contra me.*

Balthasar Cossa, paulo ante Johannes Papa, sede motus, omnique dignitate Papali exutus, Cellis Gotlebiam prope Constantiam jussu Concilii ductus est, & carceri traditus.

d. 3. Junii An. 1415.

die Lunæ, 3. Junii, A. 1415.

Cum dignitate & nomen *Johannis* amisit Papa, *Balthasaris* gentilitio nomine iterum insignitus. Ut in Concilio jam erant dudum augurati viri prudentes. V. supr. *Tom. II. Parte XIV. Cap. 24. f. 321.*

Cerretanus. *Die Lunæ, 3. Junii, Balthasar Cossa, quondam Papa Joh. 23. de Castro Cella ductus est ad palatium Episcopi Constantiensis, dimidia leuca distans à Constantia.*

Theoder.

Theoder. de Niem, supr. *Tom. II. f.* 407. cum Dacherio: *In principio mensis Junii Balthasar ductus fuit ad Castrum Gotleben prope Constantiam sub custodia concilii, per aliquot dies.*

Platina, & ex eo Nauclerus, Augiam divitem carcere Johannis illustrat: Forte quod insulam transiret cum Gotlebiam duceretur. *Curante Concilio Johannes capitur, & in insula S. Marci prope Constantiam, vulgo Reichnavv, in carcerem conjicitur.*

Balthasaris Cossæ, antea Papæ Johannis 23. domestici omnes, ab illo Concilii jussu dimissi, Constantiam reversi.

d. 5. Jun. A. 1415.

die Mercurii, 5. *Junii*, *A.* 1415.

Qui millenis semper curialibus, ministris ac adulatoribus stipatus, omnibus jam privatus. Cerretanus: *Die 5. Junii omnes familiares ab eo ablegati sunt.*

Theod. à Niem, sup. *Tom. II. f.* 407. *Ibi* (Gotlebiæ) *licentiati fuerunt sui familiares, & ad Constantiam venerunt, ne illis cooperantibus evadere posset.*

Acta Victorina, *Mutatos esse*, ajunt, *omnes ejus famulos, præter coquum.*

Balthasar Cossa, olim Papa Johannes, jam Gotlebiæ in carcere detentus, occultorum etiam in Concilio amicorum solatium frustra, & consilium sero quæsivit.

Theod. à Niem, l.c. *Quo stante*, (dimissis à captivo omnibus domesticis) aliquos
" Constantiæ tunc existentes sibi secretos, per quendam sibi secretum rogabat, ut
" sibi aliqua consolatoria scriberent, sic afflicto. Quod tamen ipsi facere non au-
" debant, quod scripta eorum ad notitiam Concilii pervenirent, & sic suspecti ha-
" berentur in illo: Et quia etiam idem Balthasar hoc tarde postulabat. Quia, cum
" in honore esset atque potentia constitutus, prudentum ac fidelium suorum sana
" sibi facta consilia, ut vitam suam emendaret & bene ageret, deridebat & efficere
" non curabat. Sensit igitur illud demum in effectu: *Quid vultis? In virga veni-*
" *am ad vos?* Summus itaq; locus bene regitur, cum is, qui præest, vitiis dominatur.

Balthasar, antea Johannes Papa, papali dignitate prorsus exutus, novo & diuturno carceri mancipandus, Ludovico, Palatino Rheni, Bavariæq; Duci, Imperii Electori, à Cæsare & Concilio traditus est Gotlebiæ.

Irus & est subito, qui modo Cræsus erat. Hic artium Johannearum, simoniæ præsertim, finis. Cæsaris jussu & Concilii decreto, *Ludovico Bavaro Gotlebiæ mox traditus*, perpetuis carceribus ab artibus superioribus abstrahendus.

In MSC. Vindob. Dorr. In *Codice Dorriano Vindobon. f.* 8. *Depositione & sententiâ latâ, statim in oppido Cellis* [unde primum Gotlebiam ductus] *idem Papa Johannes traditus fuit per sacrum Concilium Duci Ludovico, Comiti Palatino, ad custodiendum eum.*

Niem, supr. *Tom. II. f.* 407. *Traditus & recommendatus fuit custodiæ Dn. Ludovici, Comitis Palatini Rheni, qui est princeps probus, prudens, & bonæ famæ.*

Conferantur infra *Engelhusius* & alii *scriptores coætanei.*

Gobelinus: *Postquam Regi præsentatus est* (Balthasar) *Rex tradidit eum illustri Ludovico Comiti Palatino Rheni. Qui eum ad quoddam castrum suum duxit, custodiæ carcerali mancipandum.*

Naucl. *Statim ad Ludovicum comitem Palatinum custodiendus mittitur, donec aliud decerneretur.*

Gotlebiâ *Heidelbergam* ductus captivus Balthasar, carceri ibidem per Ludovicum, Electorem Rheni, traditus.

Heidelbergâ dein *Manhemium* vectus, arctiori carcere tenendus.

Heidelbergam primò per Ludovicum Bavarum pertractum fuisse Balthasarem *Dacherius* disertè monuit. V. inf. *Tom. V.* Cujus carceris auguria in Concilio ante edita comparent supr. *Tom. II. f.* 324. Liberaliter Electoris jussu in hac custodia habitus Balthasar, remotus Papa, quod notavit *Theodericus à Niem*, illa tempestate Concilio præsens, sup. *Tom. II. f.* 409. *Ludovicus eundem Balthasarem benigne pertractat, sibique providet de omnibus opportunis. Et habet duos capellanos honestos secum, dicentes officium, & coram eo celebrantes, & quosdam honestos nobiles sibi in mensa ministrantes, in loco spatioso & delectabili, non catenatus, non constrictus.*

Ceterum ultra annum Heidelbergæ non substitit. Siquidem fama, novam à *Balthasare* parari fugam, Ludovico Electori Constantiæ nunciavit. Adjutoreque uti fugæ dictus Electore Moguntino, in vicinia rerum potito. Ne proinde nova fuga Balthasaris novas multoque diriores turbas moveret, Ludovicus, cujus curâ Heidelbergæ servatus hactenus, Constantiâ subito illuc convolans, re comperta, Præfectum arcis Heidelbergensis, futurum proditorem, Rheno mergi jussit, ac Balthasarem in Manheimensi arce sollicitius custodiri mandavit, libertate superiori valde restricta. Elector verò Moguntinus culpam à se omnem amolitus est literis, quibus se apud Concilium de novæ fugæ consilio vel auxilio purgaret. Quæ omnia elapso anno in principio mensis Junii A. 1416. contigere. De quibus Theod. à Niem, supr. *Tom. II. f.* 445. & *f.* 457.

Manhemii reliquo tempore hæsit Balthasar, donec, novo Pontifice Martino Constantiæ electo, ex Manheimensi carcere ad Papam Martinum supplex dimitteretur. Vid. infr. A. 1417. *d.* 24. *Dec.*

In MSC. Vindob. Dorr. In *Codice Vindob. Dorriano: Ludovicus duxit eum ad castrum suum Manheim, prope Landenberg (Heidelberg) & prope Rhenum. Conf. Dacherius*, infra *Tom. V.*

In MSCto quodam Chronico Pontificum: Temporibus Balthasaris de Cossa de Neapoli fuit Concilium Constantiense. Et quia in habitu seculari fugit de Concilio, fuit captus & incarceratus in castro Manheim prope Heidelberch, Wormatiensis diœceseos.

Manheimensem custodiam descripsit Nauclerus: *In Manheim oppido, triennio (Heidelbergensi carcere priore computato) sine cubiculario famulove Italico diligenter asservatus est. Teutonici erant custodes omnes, quibuscum Johannes nutu & signis loquebatur, cum nec ipse linguam Teutonicam, nec illi vicissimi Italicam scirent.*

Memorabiles denique *pœnitentiæ formulæ*, à viro magno, in Concilio, ante hæc fata, tunc in fuga adhuc occupato *Johanni Papæ commendatæ*, quas *in carcere* suo ingeminaret, addito *contra desperationem solatio* ac munimine, recensitæ supr. *Tomo II. Parte XIV. Cap. XXVI. f.* 323. 324. 325. 326.

Nec defuere in Concilio viri docti, qui, cum Cæsare & Principibus fugam Papæ ægerrime ferentes, metris in fugam & carcerem ejus luderent.

Fugam decantavit vel illusit, quisquis fuerit, *In Codice Vindobon. Elstravv. Parte I. f.* 114. b.

In MSC. Vindob. Elstravv.

Congregat Ecclesiam Juliani Papa Johannes,
Ut referat tardos (forte, tardus, aut rectius, κέρδος) proponens cedere sedè,
M. semel, in Festo Paschali, C quater esto,
Constans Concilium dans X. & quinque benignum:
Tunc gens expressit, quod Papa dolose recessit.

Carcerem

Carcerem deploravit alius, apud *Engelhusium*, illa ætate clarum, in *Chr. edit. Mad. p.*296. Quas tamen nænias in *gemino Engelhusii MSCto* non offendimus.

Qui modo summus eram, gaudens de nomine Præsul,
Tristis & abjectus nunc mea fata gemo.
Excelsus solio nuper versatus in alto,
Cunctaque gens pedibus oscula prona dabat.
Nunc ego pœnarum fundo devolvor in imo,
Et me deformem quemque videre piget.
Omnibus ex terris aurum mihi sponte ferebant:
Sed nec gaza juvat: Nec quis amicus adest.
Cedat in exemplum cunctis, quos gloria tollit:
Vertice de summo qui ego Papa cado.

Laudatus Engelhusius, Concilii tempore celebris, *in Chron. edit. Mad.* fata Joh. brevibus est complexus. *Johannes 23. prius dictus Balthasar de Cossa, assumtus in Papam in Concilio Pisano* (ita & in MSCtis. Ast Alexandri V. in Concilio Pisano electi, mox defuncti, successor factus noster, finito Concilio Pisano) *intravit Constantiam Anno Domini* 1414. *indictione septima, die* 28. *mensis Octobris. Anno sequenti, die* 1. *mensis Martii, juravit cedere Papatui. Sed occulte recessit à loco. Propter quod idem Balthasar degradatus est in Concilio Constantiensi per omnes mundi nationes, & Imperatori tanquam Advocato Ecclesiæ præsentatus, detentus est à Ludovico Palatino Rheni in castro Manheim quasi tribus annis: Et post per Papam Martinum V. ob spem pecuniæ, quam dicebatur* [*scilicet unum millionem & septingintа millia florenorum*] *innumerabilem habere, liberatus è carceribus, solutis prius* 36. *millibus* (in MSC. 38000.) *florenis Ludovico pro expensis, restitutus in Cardinalatum, sequenti anno decessit, pecunia non inventa, Florentiæ sepultus.* Conf. infra A. 1417. d. 28. Decemb.

Alius autor incertus *Chronici MCSti Helmstadiensis* res illas Johannis Papæ ultimas paucis expedivit: *Dominus Johannes Papa in Concilio existens, & intelligens, se non posse in Papatu persistere, subterfugere latenter quæsivit, licet juramento se constrinxisset velle ibidem perdurare usq; ad Concilii finem: Etiam Dux Austriæ Fridericus, pecunia accepta, ipsum abducens, Facti sunt ambo juramentorum suorum prævaricatores. Sigismundus autem Romanorum Rex, intelligens Papam elapsum de manibus suis & Concilii, per terras circumjacentes ipsum perquiri faciens, tandem eum invenit. Quem captum usq; Manheim transmisit, & diligenti custodiæ Ducis Bavariæ commisit. Ducem vero Austriæ in manu valida persequens, plures civitates & castra obsedit & cepit. Et postremo ipsum capiens, toto dominio suo ipsum privavit ad tempus, & se non exiturum Constantiam ut se juramento constringeret compulit: Donec Rex Romanorum exiens in negotiis Ecclesiæ reverteretur, cogitaturus, quid de eo disponeret & faceret.*

In MSC. Helmst.

Johanne Papa de sede dejecto, Imperator Sigismundus Ecclesiarum Germanicarum curam statimin se suscepit, Episcopos & Ecclesiæ Præsides constituens.

Theodericus à Niem, plurium Pontificum, ipsiusque Johannis 23. antequam sede moveretur, *Secretarius*, in limine Constantiensis Concilii memorabile ediderat opus *De privilegiis aut Juribus Imperii circa investituras Episcopatuum & Abbatiarum, restitutis à Papis Imperatoribus Romanis.* Quod opus *in ipso Constantiensi Concilio recensuit & auxit.* Conquestus Vir eruditus, vereque Germanus, amare de collapsis Imperii juribus. Ea proinde restitui, resuscitari, ac à Cæsare Sigismundo

mundo sibi suoque Imperio vindicari optabat & svadebat. Quo etiam alio mox collimavit opere idem Vir integerrimus, *Niemus*, etsi invectivis in Pontifices Romanos, quorum Secretarius audiebat, *nimius* quibusdam videretur. Quod opus Nimianum alterum *De Necessitate Reformationis Ecclesiastica in Capite & in membris, ex MSCto Cæsareo Vindobon.* dedimus supra *Tomo I. Parte VII.*

Postquam igitur ex hujus & aliorum cordatorum ac prudentum virorum voto Johannes Papa 23. de sede prorsus erat dejectus, omni Ecclesiastico regimine plane exutus, carcerique mancipatus: CÆSAR SIGISMUNDUS, memor juxta Nimiana monita, suorum Imperiique jurium, illis recuperandis vel exercendis in Concilio statim se dare cœpit. *Episcopos* proinde *constituit*, spemque aliis ad Episcopatus & officia Ecclesiastica fecit.

Luculenti hujus rei sunt testes, scriptores coætanei, qui fata illa experti, Cæsaris consilia præsentes observarunt. *Gobelinus Persona Decanus Bilfeldiensis*, in suo Cosmodromio, quod cum Concilio Constantiensi clausit, *cap. XCIV. Postquam Johannes depositus fuit*, inquit, *de Papatu, Rex dedit Gratias ad beneficia Ecclesiastica Expectativas, Eo sub colore, quod ipse de consuetudine antiqua haberet primarias preces in qualibet collatione beneficiorum, ad Ecclesiasticas personas spectante. Et licet consuetudo illa memoria hominum in Alemannia bassa non fuit, plures tamen clerici eo modo beneficia fuerunt assecuti.*

In MSC. Helmst. Incertus autor alterius *Chronici MSCti, in Academia nostra Helmstadiensis Bibliotheca* asservati, cujus terminus itidem in Constantiensi Concilio, novum hoc ac resuscitatum jus Cæsareum, in Constantiensi Concilio exercitum, his notavit verbis: *Concilium Constantiense plures confirmavit Electos in Episcopos. Quod alias visum non est nec auditum. Inter quos sunt & confirmati Svverinensis & Brandenburgensis Electi, eorum Archi Episcopis eorum confirmationem approbantibus & ratificantibus.*

Prima & magna hæc Periodus
consultationum & decretorum memorabilium
quæ tribus prope abhinc seculis
CÆSARE SIGISMUNDO
â Novembri Anni M CCCC XIV.
usque ad Junium Anni M CCCC XV.
septem mensibus
Constantiæ
urbe Imperiali
sub cœlo Germanico
in splendidissimo Concilio universali
universus vidit orbis.
Siquidem
Augustissimi CÆSARIS
SIGISMUNDI
Prudentiâ
Consilio
Vigilantiâ
ac Imperiali ense
cecidit
Johannes Papa 23.
Hic namque
ob regimen Ecclesiæ corruptum
Simoniâ præsertim fœdatum
vitamque aliàs maculatam
per Cæsarem ad Concilium pellectus,
ad spontaneam Papatus cessionem invitatus
ex Cæsaris & Concilii manibus elapsus
in fuga retentus
ad Concilium retractus
per Concilium accusatus

ab omni administratione Ecclesiæ suspensus
de Papatu prorsus dejectus
captus
Cæsaris manibus redditus
Gotlebiensi custodiæ traditus
Jussu Cæsaris
à Ludovico Bavariæ Electore
Heidelbergensi & Manheimensi
carceribus mancipatus
memorandum exemplum dedit
Cæsareæ Majestatis atque juris
Conciliaris autoritatis
Ecclesiasticæque censuræ
Augustissima Cæsaris manu
& Christiano nomine dignæ.
Quas res antiquas
in Cæsaris SIGISMUNDI gloriam
Imperii Romano Germanici decus
Majorum laudem
Antiquitatis lucem
ac posteritatis emolumentum
Auspiciis
Serenissimi Brunsvicensium Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI
Ex antiquissimis Codicibus MSCtis
Vindobonensibus, Brunsvicensibus, Wolfenbuttelensibus, Lipsiensibus & Gothanis
in Academia Julia A. M DC XCIIX.
recensere datum
Gloriosissime Imperante
CÆSARE LEOPOLDO
ANTIQVÆ VIRTUTIS ET MAJESTATIS
GLORIÆQVE A MAJORIBUS PARTÆ
VINDICE AUGUSTISSIMO.